





TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:





I E S V I T A S,  
S I N G V L A R E S S. S.  
P O N T I F I C I Æ M A I E-  
S T A T I S H O C T E M P O R E V I N-  
D I C E S, F A L S O E T F R V S T R A  
N E G A R E, P A P A M I O A N N E M  
V I I I f u i s s e M V L I E R E M.

—0690—



Editio altera non sine auctario.

A N N O M . D . X C V I I I .



LESSVITAS  
SINGVLARES  
PONTIFICIA MAIE  
STATIS HOC TEMPORIS  
DICEBAT FALSO ET FVSSA  
IN...



Faint text, possibly a signature or a reference number, located below the large stamp.

Faint text, possibly a date or a reference number, located below the signature.





II

**I E S V I T A S,**  
SINGVLARES S. S. PONTI-  
FICIÆ MAIESTATIS HOC TEM-  
P O R E V I N D I C E S, F A L S O E T  
F R V S T R A N E G A R E, P A P A M I O A N-  
nem VIII fuisse MVLIEREM.



**N**OVVM istud sacrificulorum & mysta-  
rum genus, nostra primùm etate Ve-  
netijs à quodam milite Hispano, rapi-  
nis ditato, & sine ablati restitutione  
iam religioso, inceptum, & à Papa Pau-  
lo quarto approbatum, planè tali suo  
autore dignum, ideoque Iesu cognomine, quo sese,  
non contentum communi Christianorum appellati-  
one, venditat, indignum: nimio plus fœcundum est  
& multiplicabile in nostra Germania, ad extirpan-  
dum scilicet hæresium zizania, ad reducendum oves  
erraticas & perditas in gremium matris Ecclesiæ;  
nusquam non pluribus illorum paratis & intentis, vt  
simulatque ab vno atque altero præcurfore lustrum  
aliquod præoccupatum fuerit, confestim adrepentes  
illis sese aggregent. Vt propterea non ineptè qui-  
dam nostras Princeps, suo more ludens, dixerit, Iesui-  
tas, vel ut ab alijs conuenientius vocantur, Esauitas  
similes esse pediculis istis, quos à parte corporis, quã  
infestare solent, inguinales dicimus: quorum vel ex  
vno, ibi primum insidente, breui innumera propa-  
gatur & scaturit multitudo. Nec minus apposite

A

com-



cōparabat eos chartis aleatoriis, quas maximi valoris postremas proferunt ponuntque lusores ad vincendum aduersarium (vulgo *zum stich*:) sic Pontificem ad extremum astutissimos istos emissarios in Germaniam legasse ad amissam sibi autoritatem recuperandam, reliquamque conseruandam.

Sacrificulos nomino ( tamen si hoc ipsorum vocabulum, vt significant per indicem suum expurgatorium, velint vbiq̄ue deleri, affectantes audire Domini de societate Iesu) nominaturus eos monachos, nisi id improprie fieret: quemadmodum Franciscani cæteri que mendicantium ordines improprie monachi nuncupabantur, quum nihil minus quàm soli vitam agentes, in frequentibus opulentisque vrbibus, vbi mendicorum quæstus vberimus est, nidos suos vel horrea potius, haberent. Differunt tamen ab illis hi non solum vestitu, rasura capitis, reliquoq; cultu minus absurdo & monstroso, minus que apud vulgus nostrum nunc inuiso & abominando: verum etiam eo, quòd, quum illi ostiatim stipem, & particulatim alimenta corrogarent, hi apud Episcopalia & Abbatia collegia opulenta degentes, accipiunt in idem sua præbenda summatim: non omnibus ea de causa Canonicis istis & Benedictis monachis æquè grati vicini & alumni, quippe fundi eorum calamitas, interceptantes partem eius, quod ipsis totum capiendum erat, sic volentibus Episcopis & Abbatibus nonnullisque Principibus nostris, nimium obsequentibus & fidelibus sanctissimo Patri suo, in detrimentum & perniciem patriæ, non solum quod ad religionem  
puri-



puriores attinet, quam & ipsi non minus quam Esauitæ oppressam sublatamque cupiunt: verum etiam quod ad politicum statum, cuius isti Sinones exploratores sunt & proditores ad suos Italos aliosque exteros nobis ob doctrinæ rituumque Ecclesiasticorum emendationem, ac Pontificij iugi abiectioem infensos, in omnem recuperandæ in nos pristinæ tyrannidis occasionem intentos.

Similimi verò sunt Esauitæ, si non etiam præstant, cucullatis istis mendicis, eo quòd in principum aulas & gynæcea sese ingerentes, obseruant, auscultant, exquirunt, quæ consilia agitentur, quid rerum geratur: nuptias Principum ipsi conciliant, Episcoporum Abbatumque electiones moderantur, in Rebus publicis etiamnum Papissantibus, consules alijque magistratus horum clanculario suasu & instinctu designantur: insinuant se in primariorum familiaritatem in eiusmodi ciuitatibus, per quos secreta gubernationis cognoscant, cognita Dominis suis, si scire interest, significant. Ad quæ secreta expiscanda nulla æquè confert sagena atque confessio, quã auricularem vocamus, quam in hunc vsum ita mordicus retinent & tantoperè ceu Christianis necessariam propugnant, sicut se facturos, cum initiarentur, mystagogo suo iurauerunt.

Porro an castitate cucullatis præstent, dubitari non sine causa potest, præterquam quod ad aram, dum missificant, in suggesto dum concionantur, in cathedra dum docent, continentes esse quibuslibet patet. Adhæc, si castitas est iuratos vouisse coelibatum ad-



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

uersus Deum & naturam, & habere non suam uxorem, quis Esauitas castimoniam seruare inficietur? Verum tot contubernia, tantam multitudinem florentium adolescentum, vegetorum iuuenum securè & laute molliterque victitantium, quos obuios videas ita nitidos & formosos vt si sponsi sint, tam habitos & robustos, vt pugiles esse posse dixeris: tales, inquã, purè vitam cælibem agere haud fermè creditur ab vilo, qui humanæ naturæ vim & stimulum ad generationem diuinitus ei inditum intelligit & cogitat. Quantum enim flagitiosæ, prodigiosæ, & nefandæ libidinis parratum sit in sacerdotum collegijs, monachorumque lustris, dum speciem continentie præbentes, frustra cum natura insuperabili luctabantur, id in nostra Germania, in Anglia, Dania, alijsque locis, vbi inquisitum in ea est, & meritò abolita sunt, compertius est & notius, quàm vt verbis ea de re probanda opus sit.

Nec satis est istis nouis hypocritis, simulatam falsamque præ se ferre castitatem, hac se ostentare & venditare stolidè credulo vulgo, nisi Ministros etiam reformatarum Ecclesiarum superbè & fastidiosè calumnientur quasi incontinentes & mulierosos, liberos eorum dictitantes nothos, quòd Deum veriti, naturæ, Dei opificio, obsecuti in casto matrimonio viuentes sobolem gignant, educant, rem familiarem plerique difficulter curent & ærumnosè tolerent: istis interim extra omnem œconomicam sollicitudinem & molestiam in vitæ commodis, in rerum abundantia deliciantibus & luxuriantibus. Vnde quæ necessariò



CONTRA IESUITAS ASSERTIO.

cessariò consequuntur, ea cautè agunt & occultè donec tempus, omnia reuelans, ea quoque aliquando in lucem proferat, quemadmodum monachorum apud nosturpes & nefariæ libidines tandem ad summum progressæ patuerunt. Quapropter & fama de duobus in Polonia Esauitis pridem huc perlata videlicet alterum eorum peperisse in diuersorio, multis neutiquam suspicacibus, malevolis & maledicis videbatur admodum consentanea, reputantibus huius sodaliti conditionem & vitam, recordantibus talia in monachis, cum mendicabulo oberrantibus, quandoque euenisse. Necdum omnium aninis hæc suspicio prorsus exempta est, quamuis regio tunc edito vetitum fuerit credi tantum nefas de sanctis istis Patribus. Sicut fortasse nec illam fabulam omnino vanam esse nonnullis persuaderi poterit, qua fertur nuperrimè visum esse in vrbe N, in Canonici cuiusdam domo, Iesuitam lactare infantem.

Imitantur Esauitè dictos Monachos in eo quoque non minus feliciter quàm sedulò, quòd adolescentulos ingeniosos, alacres & linguaces, nonnullos interim non deformes Ganymedes (intelligunt quæ ipsorum secreta notem) aliquos etiam fortunatos, à quibus societati pauperis Iesu aliquantulum emolumentum possit accedere, ipsorum instituto & moribus natos & accommodatos, in nassam illiciunt: quò perpetuum eis suppetat seminarium senibus succrescens, emeritis defunctisque succedens. Ob eius seminarij institutionem & disciplinam laudandi sunt, quod diligenter eos linguis & artibus (solis fortasse libera-



▷ PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

liberalibus) erudiunt: magis laudandi si id facerent ad veram & sinceram pietatem, ad Christi regnum & gloriam propagandam & conseruandam, non ad Antichristi idola & tyrannidem instaurandam & cōfirmandam, sui compendij, commodi & honoris causa. Sunt enim hæc, vt alia eorum omnia, opera plena fucosa fraude, plena insidijs, eò duntaxat directa & tendentia, vt huius boni specie, quod omninò magnum in proba institutione & recta disciplina est, populum, ad se pellectum, rursus pontificiæ maiestatis obseruantix & cultui paulatim assuefaciant: tene-ros interim puerorum animos Pontificiæ, hoc est, corruptæ religionis doctrina & amore, sinceræ verò & germanæ auersatione & odio imbuentes, quæ per omnem deinceps ætatem non dediscunt.

Nam quid à talibus non fictum fucatumque geri existimes, qui in tanta tamque diutina veritatis Christianæ reddita nobis luce, tamen tenebris operam dant, omne ingenium & eruditionem suam ijs tuendis intendentes: qui in tam manifestè deprehensa & palam detecta Pontificum Romanensium, eorumque familiæ & clientium impostura & fraude prætextu religionis in populum tot seculis exercita, tamen eos defendere, viros nihilominus bonos, sanctos, pietatisque antistites dignissimos esse, quorum præscripto parendum sit, probare & persuadere imperitæ & fatuæ plebi conantur?

Illam verò machinatio sodalitatis Esau, aliorumque eius conseruorum plusquam Diabolica est, qua nulla accommodatior & efficacior ad deprauandum per-



CONTRA IESVITAS ASSERTIO.

perdendumque Ecclesie doctrinam excogitari & v-  
surpari possit, quod non solum recentiores quosdam  
scriptores veluti Stapulensem, Erasmus, Polydo-  
rum, Capnionem, Cuspinianum, & alios alicubi pa-  
rum reuerenter Pontificum & pontificiorum dolos,  
tyrannidem, fastum, luxum notantes & perstringen-  
tes: verum etiam antiquos illos & meliores sacra-  
rum literarum interpretes, ac proinde Pontificijs do-  
gmatibus & regno (cuius se hi nebulones defensores  
& atlantes profitentur) plurimum aduersantes, hoc  
seculo ab Erasmo alijsque viris doctis summa dili-  
gentia, incredibili labore ex undique conquisitis ve-  
tustis exemplaribus a defectibus redintegratos, a  
mendis repurgatos, Basileæ & alibi fideliter impres-  
sos, Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, Hila-  
rium, Irenæum, Chrysostomum, & cæteros, quorū  
nomina indicibus expurgatorijs consignarunt, per-  
fidè, sceleratè, nefariè, impientissimè truncant, de-  
prauant, augent, minuunt, prout ipsorum proposito  
conuenit: talesque per suos typographos, mandan-  
tibus eorum regibus & principibus, Pontificum asse-  
clis, vt ita fiat, emittunt: fraudem facientes sacrile-  
gam hominibus nominis Christiani præsentibus &  
futuris, tantum recuperandæ & statuminandæ idoli  
& Dei sui Papæ autoritatis & potentia gratia: quam  
non solum ex ipsis Apostolorum scriptis (quæ quo-  
que aliquando ipsa opinor corrumpere aggredien-  
tur) sed ex patrum etiam monumentis oppugnari,  
labefieri atque euerti vident. Digni qui ob hoc tan-  
tum scelus & sacrilegium a populo Christiano lap-  
B dibuis



dibus obruantur: dignus illorum præceptor, qui vnco per scalas Gemonias trahatur. Atque hisce capitalibus falsarijs Episcopi Abbates & Principes nostri splendida extruunt domicilia, hosce opimis saginant præbendis, hosce colubros in sinu fouent.

Spectate quæso quanto studio quantoq; opere suo munere fungantur parasiti, adserendo & demonstrando, omnibus modis absolutam & perfectam sanctimoniam, inuiolabilem maiestatem sui Domini, canentes, iuxta prouerbum nobis vernaculum, canionem eius, à quo pascuntur. Negare audent tam impudenter quàm confidenter, corrasis & coactis ad hoc vndique argumentis historiam, de cuius veritate per octingentos iam fermè annos in ipsomet pontificio regno nunquam dubitatum est aut disputatum à quoquam: quippe omnibus eam Bibliothecis quasi vno ore loquētib; & adfirmantibus. Nunc demum in dubium vocatur à Pontificum adulatoribus, postquam persona illis detrahi, adoranda illa maiestas contemni, inter alia eorum probra hæc quoque historia liberius proferri & exagitari cœpit. Est autem hæc historia.

Circa annum Christi 855, Imperatore Lothario, Ludouici Pij filio, accidit sacrosanctæ catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ Romanæ columnis proceribus & Cardiaibus, (si quidem Cardinales illo seculo fuere) vt Spiritus sanctus scilicet, quo in omnibus consilijs semper ipsis præsentem errare & falli in nulla vnquam re se posse dictitant, enormiter hallucinatus, siue incogitantia, siue consultò, siue alibi occupatus, permisit

ferit



CONTRA IESVITAS ASSERTIO.

ferit eos in creando nouo Pontifice in scitè iuxtà ac ridiculè errare & labi, eligentes sine sexus discretionè foeminam pro mare. Mortuo enim Leone 4 ædile & quæstore valde industrio, proposita consulatione de successore, versabatur Romæ quidam, vt apparebat, iuuenis Germanus, patria Moguntinus, nomine Ioannes Anglicus, in scholis quum alibi tum in Græcia eruditus, ingenio, doctrina, facundia, moribus, habitu & decore corporis admirabili, denique talis, vt scholas ibi habentem audirent viri primarij & summi. Horum studio & sententia sacro senatui commendatus, designatur & habetur Pontifex mulier pro viro: tot prudentibus, perspicacibus & sagacibus, tot oculatis & nasutis, etiam sine Spiritus sui sancti monitu, dignoscere sexum muliebrem à virili, barba, (qua quamuis ipsorum more rasa tamen stipulæ apparent) voce, alijsque notis & indicatijs nescientibus. Tandem prodita est fallacia hoc euentu. In delicata illa licentia, lasciuiente natura, admittit ad complexum vel Cardinalem vel alium quempiam familiarem, à quo fit grauida. Vicina partui cum imprudenter, vt iuuenca ad eiusmodi rem in experta, in Litaniam quandam & processionem, vt vocant, egressa esset, concidens in via publica ibi in turba parit, partusque dolore vnà cum foetu extincta ibidem sepelitur.

Hanc historiam Esauitæ fabulamentum esse contendunt, tam multos, integros, grauesque scriptores in quorum consentientium monumentis expressa legitur, vanitatis & mendacij non minus arrogan-



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

ter quàm inuerecundè arguentes, idque non adserē-  
dæ veritatis causa, quam vbicunque eis adversatur a-  
dulterant & sùpprimunt, sicut antè ostendimus : sed  
vt probrosam hanc puerperij Papalis labem diluant,  
hoc cum primis æuo plurimum iactatam in despectũ  
& ignominiam Hierarchiæ Romanæ, cuius funda-  
mentum in perpetua inde vsque à Petro successione  
(si modò Petrus vnquam Romę fuit) situm prædi-  
cant : quam catenam ab hac muliere interruptam do-  
lenter ferunt, omnibus modis integratam cupientes.

Superiori tempore à paucis legebantur libri histo-  
rici, qui que eos legebant, ij in honorem & gratiam  
*τὸ τῆς ἐκκλησίας* in terris Vicarij Dei rem adeò puden-  
dam, absurdam, eius existimationi & gloriæ detri-  
mentosam dissimulabant, reticebantque. Hodie  
verò Esauitæ, ad quos ceu triarios summa vindican-  
di ab omni vitio & labe maiestatem pontificiam hac  
ætate redijt, persuadere nobis sua eloquentia volunt  
esse figmentum, nihil fieri tale potuisse. Etsi autem  
non magnum momentum in eo est, commentitiũm-  
ne an verum esse constet hoc Pontificiale puerperi-  
um, tamen ad ostendendum hoc specimine perfri-  
ctam & improbam horum parasitorum frontem  
quantumque in alijs maioribus credi eis & tribui o-  
porteat, & ut ab eorum fraudibus eo magis caueatur,  
recensebo breuiter historicorum, quot quidem mi-  
hi videre contigit, testimonia, rem factam non fictam  
esse confirmantium. Quibus perlectis censeat cor-  
datus & æquus arbiter, plúsne fidei habendum sit ve-  
tustæ & consentienti tam multorum pietate & inte-  
gritate



VII

gritate præstantium virorum traditioni, an recentium aliquot hypocritarum & Gnathonum in heri sui gratiam quidlibet negantium & affirmantium, nouæ ac priùs inauditæ inficiationi.

Omniùm, qui quidem à nostri seculi hominibus lecti sunt, vt opinor, vetustissimus huius muliebris pontificatus scriptor allegatur in centurijs Ecclesiasticæ historiæ Radulphus Flauiacensis monachus Benedictinus, quem & Trithemius chronicon breue, quod centuriarum autores polychronicon nominant, scripsisse ait, referens eius ætatem in annum Domini 930. Mihi eius legendi copia nondum est data, citant illi librum Radulphi quintum, caput. 32.

Primum equidem à me lectum adducere habeo Marianum, à patria cognominatum Scotum, cuius probitas & veracitas vel inde æstimeretur, quod in Germaniam ingressum contubernia Benedictinorum certatim exceperint, Coloniense, Fuldense, Moguntinum, vbi mortuus est anno Domini 1086. Is libro tertio, ætate sexta sui chronici, rem ita ignominiosam, & illo præsertim tempore non exaggerandam, nec tamen ab historiographo fideli prætermittendam, his paucis verbis indicat. Anno Domini, inquit, 854, anno Lotharij 14, successit Leoni Ioanna mulier, annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Hoc Mariani testimonium eleuant Esauitæ, eò quòd in ipsorū codicibus manu scriptis non extet. At quo ore falsarij isti postulare audent, vt quidquam in hoc genere eis credatur, qui & ipsi describendo quæ volunt omittunt, & ab alijs descripta





PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

quælibet eradunt & delent? Exemplar quod imitatus est typographus Basiliensis, prodijt ex libraria Collegij S. Bartholomæi, in vrbe Francofurto, iussu Episcopi Moguntini, in quo hæc, quæ isti in suis esse negant exarata fuere.

Pari fide aiunt hanc historiam etiam in vetusto quodam codice annalium Sigeberti Monachi non inueniri, quæ in alijs omnibus expressa legitur hoc modo. Fama est hunc Ioannem foeminam fuisse, & vni soli familiari cognitam, qui eam complexus est. Grauida facta peperit Papa existens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam. Ideo nomini numerum non facit. Vixit Sigebertus tempore Henrici quarti, circa annum Domini 1110.

Sigeberto proximum inueni Martinum cognomento Polonum, monachum ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarium Papæ Nicolai 3, postea Archiepiscopum Consentinum, ad annum Domini 1320 Cuius narratio de Ioanne Papa hæc est. Ioannes Anglicus, natione Moguntinus, sedet annis duobus, mensibus quinque. Mortuus est Romæ, & cessauit pontificatus mense vno. Hic, vt asseritur, foemina fuit. Et cum puellari ætate à quodam amasio suo in habitu virili Athenas ducta fuisset, in diuersis scientijs ita profecit, vt nullus ei par inueniretur: adeo vt post Romæ triuium legens magnos magistros discipulos haberet. Et cum in vrbe vita & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per familiarem suum imprægnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum

num



num tenderet, angustiata inter Colosseum & S. Clementis ecclesiam peperit, & postea mortua ibidem, ut dicitur, sepulta fuit. Et propterea quod Dominus Papa semper eandem viam obliquat, creditur omnino à quibusdam, quòd ob derestationem facti hoc faciat. Nec ideo in catalago sanctorum Pontificum ponitur, tam propter muliebrem sexum, quàm propter deformitatem facti. Eadem totidem fermè verbis leguntur in Richardi monachi Cluniacensis libro, cui titulus est Romanorum Pontificum series, qui in Vaticana bibliotheca seruatur. Quæ verba vir quidam honestus à se ante annos iam sedecim ibi descripta nobis ostendit. Antecessit autem Richardus iste Martinum centum quinquaginta annis, si Tritthemio creditur.

Hanc tam expressam & luculentam Martini narrationem poenitentiarij Pontificis, quod munus minimè conceditur hominibus vanis & futilibus, in quo ille talem se gessit, ut pro premio Archiepiscopatu donaretur quo nemo acta & historias Pontificum certius scire potuit, cauillantur Esauitæ, quòd ante eum non alius hanc memorię prodiderit. Sed an non Sigebertus, Marianus, Radulphus, Reichardus ante illum fuere, alijq; complures, ex quibus hæc & cætera sua excerpserit, ut ipsemet in proœmio chronici sui significat? Quin & Marianus in vestibulo operis sui recenset, ex quorum monumentis ipsum congesserit, qui vel interiøre, vel alicubi puluere operiti & à blattis arrosi latent. Tum si maximè Martinus primus ista literis mandarit, an ideo falsa putemus?



mus? Plurima sanè in historijs tum sacris tum profanis legimus, quæ illarum autores audita ex senum & maiorum sermonibus primi scripto comprehenderunt. Ideòne de eorum veritate ambigatur? Anastasius bibliothecarius, inquit, cum alijs ea ipsa ætate superstitibus chronographis, nullius mentionem faciunt Pontificis Ioannæ. Quasi non aliqui sua quadam sententia & iudicio rem tam indignam pontificia sede, qua & ipsi erubuerunt, silentio præterierint, ad omnem posteritatem sopitam & sepultam cupientes? Quod ad Zonaram aliosque Græculos scriptores attinet, ijs propositum fuit suorum duntaxat Imperatorum & Ecclesiarum, non Romanorum Pontificum negotia exponere, nec horum odij & dedecoris causa, vti isti facturos fuisse autumant, ab instituta via deflectere. Sed an non Laonicus Chalcocondylas Atheniensis in libro VI ἀποδείξεως ιστοριῶν, demonstrationis historiarum, recenset modum & ritum eligendi probandi que nouū Pontificē. Καθίζουσι ἡ, inquit, τὴν ἀρεθύντα ὅτι σκίμποδος ὀπλῶν ἔχοντες, ὡς ἐκ τῆς ὀρχεων αὐτῆς ὅτι κρεμασμένων ἀπὸ τοῦ τινος τῆς ποροταχθέντων, ὡς ἐκ καταφανῆ ἐστὶ ἀνδρα ἐστὶ τὸν. Δοκεῖσι γὰρ τὸ παλαιὸν γυναικῶν ὅτι πλὴν Ρώμης ἀρχιερατεῖαν ἀφικέσθαι. Οὐ γὰρ ὅτι δὴλος ἔστι, ὅτι καὶ οἱ ἀρρένες ἀφικέσθαι τὴν Ἰταλίαν καὶ συμπάσης τῆς ποροταχθέντων χωρῶν ὅτι περικῶς ξυρῶν τὸ γυναικῶν. Ἐγκυον ἡ γυναικῶν, ὡς εἰς θυσίαν ἀφικέσθαι, γυναικῶν τὸ παλαιὸν καὶ πλὴν θυσίαν καὶ ὀφθῶναι τὸ τὸ λάβ. Διὰ ὅτι ὡς ἐγνώσθαι καὶ μὴ πάνυ τὸ ἐνδοιάζειν ἀπὸ τῆς καὶ ἀφικέσθαι ὅτι φωνεῖ, Ἀρρένες ἡμῶν ὅτι δὲ ἀπὸ τῆς. Id est. Electum collocant super sella foramen habente, per quod colci propendentes à quodam, ad hoc deputato, contrectantur vt constet esse marem. Censent enim quondam ad pontificatum

Roma



CONTRA IESVITAS ASSERTIO.

Rome foeminam peruenisse, quod sexus non dignosceretur: Siquidem per totam ferme Italiam & occidentalem regionem viri barbam planè radunt: Grauidam autem factam ad quoddam processisse sacrificium, in eoque infantem peperisse in conspectu populi. Quapropter ad certò sciendum nihilque dubitandum contrectant virilia, contrectatore acclamante; Mas nobis herus est. Ne dicam quod argumentatio ab autoritate negatiuè ducta secundum Dialecticos nihil valet. Ut si quis sic ratiocinetur, Frisingensis, qui tunc vixit, & Vrsbergensis non meminerunt de immani illa & plus quàm Scythica Alexandri 3 insultatione & vindicta, qua Fridericum primum Imp. ante pedes eius prostratum calcavit, acclamante circumstantium assentatorum coetu, Super aspidem & basiliscum ambulabis &c. Ergo qui hoc memorant mentiuntur.

Obijciunt etiam hoc, discrepare scriptores de eo, natane fuerit in Anglia, an Moguntiae. Martinus non dicit, ut cauillantur, Anglicam fuisse patriam, sed cognomine, natam Moguntiae. Id quod & Iacobus Curio Hofemius, Alberti Moguntini Episcopi & Card. aliquandiu medicus, in suo Chronico confirmat, inquit, Post deuidos à Carolo M. Saxones, & ad Christianismum adactos, venisse ex Anglia in Germaniam viros doctos Religionis propagandæ causa, interque eos huius foeminæ patrem cum vxore grauida: quæ Moguntiam appulsa ibi filiam hanc pepererit, Gilbertamque nominauerit. Hinc illi cognomen ab Anglia.

C

militer



militer narrari rem ita prodigiosam & abominandam de qua veraces verum prodidere, fallaces eam aut reticuerunt aut deprauarunt?

Athenis tunc nulla literarum ac philosophiæ studia fuisse, probant ex Synesij epistola, eò discendi causa profecti ætate Theodosij iunioris, quando nihil ibi scholarum repererit. At Synesius non scribit, se prorsus nihilo, neu pilo, sed non vel palmo vel dorante doctiorem tum Athenis factum, nec inuenisse tanta ibi, quanta inuenturum putarat. Erant tunc doctorum & discentium collegia etiam in alijs Græciæ vicinis vrbibus, Thessalonica, Constantinopoli, quò se studiosi, quos ex vetere Athenarum fama concepta opinio fefellerat, conferrent.

Pontifices nondum habitabant illo tempore in Vaticano, sed in Laterano. Hoc quid obstat, quominus verum narret Martinus? Non dicit Pontificem è palatio suo Vaticano iuisse in Lateranum, sed à S. Petro cuius tunc ædem ibi fuisse extra controuersiam est, ni fallor. Ab ea æde rediens cum sua Pompa, parturijt & peperit in via. Videtur Esautis vaferimis Martinus vir simplicissimus, qui & alias multas fabulas scripserit. Nobis contrà videtur vir cordatissimus, minimeque fabulator: alioquin eius chronicon non in tam multa exemplaria etiam manu antenatam typographiam descriptum fuisse, vt in omnibus instructoribus librarijs reperiatur. Atque hoc nostrum **VIDETVR** eò validius est quàm ipsorum **VIDETVR**, quòd quæcunque ipsis aduersantur, ea contemptim procaciterque suspensò naso eludere



CONTRA IESVITAS ASSERTIO.

dere soleant, quando rationibus confutare non possunt.

Alius Martinus familiae Minoritarum in chronico, cui titulum fecit, Flores temporum, pertinente usque ad Carolum quartum, eadem refert de Ioanna, addens hoc quoque. Hæc Dæmoniacum quendam adiurans interrogabat, quando Dæmon recedere vellet, cui diabolus versificè respondit:

*Papa pater patrum, Papissæ pandito partum,  
Et tibi tunc edam de corpore quando recedam.*

Vidi hoc chronicon Latinè manu scriptum, & Germanicè typis impressum Vlmæ, anno 1486. Existimavit fortasse futurum ut diabolus ipsi obsequenter cederet tanquam familiari & bene meritè, ut quælibet de eius potentia virtutibusque necromanticum, ut fertur, scripsisset.

Franciscum Petrarcham, virum omnibus modis summum, tanto fuisse iudicio haud inficiabuntur, opinor, ut inter fabulam & historiam discernere sciuerit: eaque grauitate & probitate ut quæ falsa suspicaretur, pro veris in literas mittere ad posteritatem noluerit. Ex huius chronico Italicè scripto, & Florentiæ anno 1478 excuso, ista in Latinum sermonem transtulimus. Anno 855 Ioannes Anglicus tenuit pontificatum annos duos, menses quinque, dies quatuor. Vacauit ecclesia mensem vnum. Iste non ponitur in catalogo Paparum, quia fuit fœmina. Quæ in adolescentia à quodam suo amatore habitu virili ducta Athenas, ibi diuersis scientijs studendo euasit excellentissima. Deinde cum venisset Romam, tan-



PAPAM IOANNEM VIII FVISSE MVLIEREM

tam ascendit claritatem, vt admirationi esset omnibus. Vnde concorde suffragio supremus ei honos Pontificatus est attributus. Quæ res postmodum se prodidit. Tempore illius in ciuitate Brixia tres dies & tres noctes pluit mirabiliter sanguine, & in Gallia apparuerunt monstrosæ locustæ, habentes sex alas & sex pedes, dentesque durissimos, volantes per aërem mirabiliter: quæ postea omnes in mari Britannico suffocatae sunt. Hinc cadauera earum ad litora appulsa, adeo aëra corruerunt, vt magna pars hominum ibi moreretur. Decessit Petrarca anno Christi 1374.

Ioannes Bocatius, Petrarchæ ob ingenij, studiorum & morum similitudinem intimus & alter ipse, recenset ac describit hanc Ioannam, prius Gilbertam, vt ipse ait, appellatam, in libro de claris mulieribus, capite 99, quod his verbis concludit: Ad cuius detestandam spurcitiem, & nominis continuandam memoriam in hodiernum vsque summi Pontifices Rogationum cum clero & populo sacrum agentes, cum locum partus medio eius itinere positum abominantur, eo omisso declinant per diuerticula vicosque, & sic loco detestabili prostergato reintrantes iter perficiunt quod cœpere. Addita est in codice spectabilis pictura partus pontificij, circumstantibus Cardinalibus & Episcopis obstetricibus. Extat idem Bocatij liber in linguam Germanicam versus à Medico ciuitatis Vlmæ, & nuncupatus Ducissæ Austriæ, anno 1473. impressus in eadem vrbe typis antiquis & rudibus, i-tidem cum effigie parientis.

HISCE



HISCE CONSONANT RHYTH-  
MI QUIDAM ITALICI, E LIBRO VETVSTO  
manuscripto excerpti; cui titulus est, *Historia de  
donna famosa. de claris mulieribus.*

GIOVANNI settimo, infra queste astute,  
La somma gloria del Pontificato  
Administró con cure alte &c.  
E per intemperantia lei difesa.  
Non fece a sua lasciua &c.  
Un giorno achadde, e fu vicina al parto,  
Una solennità, stimata e digna;  
Onde conuien, chel suo termin coarto  
Sia discoperto, in procession venire:  
Doue a quel tempo il figlio in terra ha sparto.  
E con dolor fu vista partorire,  
In presentia del popol con tormento:  
E l' un e l' altro, lor vita finire.

Interpretatio ad verbum.

IOANNES septimus inter has astutas  
Summam gloriam Pontificatus  
Administruvit curis altis &c.  
Et per intemperantiam ipsa obstaculum  
Non fecit sua lasciua &c.  
Quâdam die accidit (& fuit vicina partui)  
Sollemnitas, sublimis & digna;  
Vnde oportet, ut ipsius terminus coactus  
Sint detectus, in processionem venire:  
Vbi illo tempore filium in terram sparsit,  
Et cum dolore fuit visa parere,  
In presentia populi, cum tormento,  
Et utrumque suam vitam finire.

Anto-



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

Antoninus archiepiscopus Florentinus in secunda parte Historialis sui, narrationi de Ioanna ex Martino poenitentiario repetitæ attexit hæc. Et quoddam signum sculpturæ marmoreæ in via, vbi hoc contigit, ob rei memoriæ positum dicitur. Et exclamat ad rem tam profanam & nefariam illud Paulinum: O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incompræhensibilia sunt iudicia tua, & inuestigabiles viæ tuæ &c. quasi à Deo, & non ab ipso spurcissimo Diabolo profectam & procuratam. Deinde si fuit verum, inquit, nulli tamen ex hoc salutis præiudicium: quia nec Ecclesia tunc fuit sine capite, qui est Christus &c. Dubitanter autem loquitur, ne maculam tam foedam Ecclesiæ, purissimæ alioquin, non abominari videatur. Statuam, cuius mentionem facit, arbitrantur Esauitæ habere non simulacrum mulieris & infantis, sed cuiusdam sacerdotis cum præcunte famulo ad sacrificandum, ne nihil contradicant. Viam declinari hanc à Pontificibus autumant, quia altera sit commodior, cum audiamus ex alijs locum curiosè contemplatis, hanc & breuiorem esse & commodiorem illâ. Quin etiam destructum pridem ablatumque ferunt hoc tam manifestum tanti dedecoris monumentum, ad abolendam minuendamve eius famam apud hæreticos & Ecclesiæ Romanæ aduersarios, illud adeo hoc tempore exagitantes. Sicut & imaginem huius Papissæ in vrbe Senis, in templo primario cum alijs omnibus Pontificibus effictam facie muliebri, cū inscriptione FOEMINA DE ANGLIA, iam paucos ante annos eadem de causa vel inductam vel amotam esse audimus. Guil-



Guilhelmi Iacobi Emondensis, prope Almariam, monachi liber membraneus ante ducentos annos, quantum coniectura assequor, scriptus, continet Pontificum vitas metris, cuiusmodi eo tempore usitata erant, compositas, nimium accuratè & ad obscuritatem vsque obseruato syllabarum numero & rythmo, quæ, quot & qualiacunque de Ioanna sunt, referam.

*Priusquam reconditur Sergius, vocatur  
Ad summa qui dicitur Ioannes, huic addatur  
Anglicus. Moguntia iste procreatur.  
Qui ut dat sententia, fœminis aptatur  
Sexu, quod sequentia monstrant: breuiatur  
Hæc vox. Nam prolixius chronica procedunt  
Ista, de qua breuius dicta minus ledunt.  
Huic erat amasius, ut scriptores credunt:  
Patria relinquitur Moguntia, Græcorum  
Studiosè petitur schola. Post doctorum  
Hæc doctrix efficitur. Romæ legens horum  
Hæc auditu fungitur loquens. Hinc prostrato  
Summo hæc eligitur: sexus exaltato  
Quandoque negligitur. Fatur quod hæc nato  
Per seruum conficitur. Tempore gignendi  
Ad processum equus scanditur, Vico flendi  
Papa cadit. Panditur improbis ridendi  
Norma: puer nascitur in vico Clementis,  
Colosseum iungitur: corpus parientis  
In eodem traditur sepultura gentis.  
Faturq; scriptoribus quod Papa prefato  
Vico senioribus transiens amato*

Cenr



IOANNEM VIII FVISSE MULIEREM

*Congruo ductoribus sequitur negato  
Loco, quo Ecclesia partu denigratur,  
Quamuis inter spacia Pontificum ponatur  
Propter sexum.*

Poëta hic inquit *De qua brevius dicta minus ledunt*, innuit & se pudere huius narrationis, & vereri, ne quos ea offendat. Sergio Ioannam subiungit, præterito Leone 4.

In chronico Alberti abbatis Stadenfis, quod desinit in anno Domini 1256, nuper Helmstadij impressum, nominatur Ioannes septimus, paulò post Ioannes nonus, omissa Ioanna octava. Otto episcopus Frisingensis, cœuus Friderici primi, lib. 5 in Pontificum catalogo ponit Ioannem foeminam in numero septimum, ut & Senensis sculptura. Quæ diuersitas & perturbatio in chronicis inde extitit, quod mulierem hanc quidam priorum prorsus excluderunt, alij non reticuerunt quidem, sed in spacium extra ordinem collocarunt, sicut autor fasciculi temporum fecit, & hic poëta fieri dicit. Sed nihilo absurdius est talem Pontificem historicum ordinem confundere, quàm quòd etiam grammaticas regulas suo nomine perturbat Pontifex puerpera.

In antiquis annalibus Augustanis Latinè manuscriptis hæc legi. Porro non procul ista tempestate (anno Christi 855.) erat Romæ Papa Ioannes, octavus nomine, qui mulier, immò scortum turpissimum Gilberta Moguntinensis dicta, ab Anglo quodam Fuldensis cœnobij monacho tum per Græciam tum per



per Italiam mentito sexu diu circumducta, literatissima versutissimaque bestia euaserat, pontificatumq; in vrbe inuaserat &c.

Raphaël Volaterranus in commentarijs suis, ipsi Pontifici Iulio 2 dicatis, non veritus est hæc de Ioanna scribere. Ioannes 8 Anglicus, quem dissimulato viri habitu dicunt foeminam, alioquin doctissimam, fuisse, depræhensamque in via, quando peperit.

Proferamus nunc Palatinam, qui quanquam expertus Pontificis Pauli 2 in se sæuitiam & crudelitatem, tamen scripsit de Ioanna ad Sixtum 4, quæ nunc quasi vana isti nebulones arguunt, tantum abest vt ipsi ea tunc scribere ausi fuissent, aut voluissent. Quæ vero ille ex Martino deprompta se referre ait, ea cum supra à nobis recitata sint, hic non repetimus. His subiungit: Sunt, inquit, qui hæc duo scribant, Pontificem ipsum quando ad Lateranensem basilicam proficiscitur, detestandi facinoris causa viam illam consulto declinare: & eiusdem vitandi erroris causa, dum primò in sede Petri collocatur, ad eam rem perforata, genitalia ab ultimo Diacono attrectari. De primo, inquit, nõ abnuerim: de secundo ita sentio, sedẽ illã ad id paratã esse, vt qui in tãto magistratu constituitur, sciar se non Deũ esse, & necessitatib<sup>9</sup> naturæ, vt pote egerẽdi, subiectũ esse, vnde sedes STERCORARIA meritò vocatur. Hæc quæ dixi, vulgo feruntur, incertis tamen & obscuris autoribus: quæ ideo ponere breuiter & nudè institui, ne obstinatè nimium & pertinaciter omisisse videar, quod fermè O-

D

MNES





PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

MNES affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat ea quæ dixi ex his esse, quæ fieri posse creduntur. Hæc Platina. Quorum ex postremis verbis, dum ait, fieri potuisse, satis apparet cur dixerit, erremus cum vulgo, ne scilicet heros suos directè ea affirmando offenderet. Causam declinandæ viæ partum Pontificis esse fatetur. Cæterum usus sedis stercorariæ, quem dicit, parum conveniens est tantæ sanctitati ac diuinitati Pontificiæ, quam simplex, stultum & superstitiosum vulgus opinatur non cacare sed ambrosiam, qua vescitur, converti totam in deificati corporis substantiam. Quæ vulgi tam religiosa opinio de Dei in terris vicario haud quaquam minuenda videtur. Tum si quæ humanæ naturæ necessitates in illo remanentes, ritu quopiam repræsentandæ erant, decentius id per ferculum edulij appositum, per quæ alimenti sumptionem, quam excrementorum egestionem fieret. Nam per hoc antecedens illud consequens intellectum fuisset, quòd qui edit, is etiam cacat, sicut vicissim qui cacat, is edit. De cicadis commemorans Plinius nullum eis ad excrementa foramen esse, addit nec os esse ad comedendum. Quumque frater Robertus Dominicanus Gallus in libro visionum suarum, ante annos trecentos scripto, referat sedem hanc, qua probetur Papa an mas sit, in porticu palatij Lateranensis sibi in ecstasi visam, porphyreticam esse, qualem & alij qui eam viderunt, esse perhibent: haud verisimile est eius autorem Benedictum III, a quo positam ferunt, adeo insolenter impudenterque luxuriam

riatum



riatum fuisse, vt tam pretiosum tamq; splendidū instrumentum ad significandū rem tam foedā, videlicet alui deiectionem, apparauerit. Esauitæ igitur aliā hui⁹ sedis honestiorem allegoriam, minusque obscœnā commenti sunt, videlicet STERCORARIAM nominari, quòd commune fiat nouus Papa ei insidens, se ex stercore, ex humili statu in sublimem, ex minoribus in maiores, vt ipsi loquuntur, collocatum, ideoque ei tum à circumstante clero accini è psalmo: Suscitāt de terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus (vel potius supra principes) populi sui. Admitteremus commentum, nisi obstaret stercus, à quo etiam furcæ & plaustra appellantur stercoraria & sterquilinia. A terra si terraria nuncuparetur, tolerabilior & verisimilior foret interpretatio. Quamobrem nos assentimur illis tamquam veracioribus, qui genitalibus explorandis factam & vsurpatam adseuerant: etiam hoc argumento, vt ita existimemus, adducti; quòd sæpe numero audiuerimus in Papatu sacrificum genus membrū virile ioculari antonomasia appellare PONTIFICALIA certè nō aliūde quàm ex hoc ritu ipsis notissimo, quo infimus diaconus cardinalis per foramen propendens noui Pontificis membrum attrectabat exclamans, Habet. Obsoleuit autem iam olim hoc virilitatis experimentum, ex quo se coleis & mutone non carere probant ante pontificatum, gignendis aliquot nothis, quos deinde circum se habent Cardinales & Episcopos, appellantes eos fratrum & sororum filios. Quam virilitatis probationem



EPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM  
Acetè notat his versiculis Iohannes Pannoninus epi-  
copus Quinqueeclesiensis :

*Non poterat quisquam referantes athera claves  
Non exploratis sumere testiculis.  
Cur igitur nostro mos hic iam tempore cessat?  
Ante probat sese quilibet esse virum.*

Antonius Sabellicus eadem fermè, quæ Plati-  
na, refert de Ioanna in sua Enneade 9, ponens illam si-  
cut Erisingensis in numero septimum huius nomi-  
nis .

Iacobus Philippus Bergomensis, familiæ Eremitarum, in supplemento supplementi chronicorum habet de Ioanna, non diversa ab his quæ Martinus, Platina & reliqui. Publicè inquit, sine obstetrice peperit, eodemque loci cum foetu mortua est misera & sine ullo honore sepulta. Cui mulieri suffectus est, inquit, Benedictus tertius patria Romanus. Liber impressus est Latinè Venetijs, anno 1503. Et ibidem Italicè anno 1540.

Consimilia leguntur in Matthæi Palmerij continuatione Eusebij & Prosperi, quæ incipit ab anno 449, desinens in anno 1471: Exemplar impressum Basileæ 1549. Nec differunt ab his ea quæ de hac Papadux Genuensis, Baptista Fulgosus, Palmerij coævus, annotavit in libro suo de memorabilibus dictis & factis, excuso Basileæ anno 1541.

Trithemius in annalibus cœnobij Hirsaugiensis, in vita Luitprandi primi Abbatis, post alia de Ioanna pontifice ait: Ferunt eam à familiari quodam suo



suo compressam peperisse in strata publica, & ob id non nulli eam inter Pontifices ponere noluerunt, quasi indignum facinus abhorrentes.

Iohannis Stellæ, Veneti sacerdotis, libro cui titulus est, Viræ ducentorum & triginta summorum Pontificum, à beato Petro Apostolo vsq; ad Iulium 2 modernum Pontificem, & cui præfatio est ad Dominicum Grimanium Cardinalem, eadem traduntur, quæ Philippus Bergomensis de Papa Ioanne tradit.

Spectavi historicum codicem, amplum, pulcrum, & preciosum, Norinbergæ excusum anno 1493 cum imaginibus Imperatorum & Pontificum, in quo ad narrationem de Papa Ioanna appressa fuit effigies fœminæ, pontificaliter quidem coronatæ, sed pro trabea pontificali stolam muliebrem ab humeris, pro tricruciato scepro infantem in vlnis gestantis.

Naucleri præpositi & cancellarij Tubingensis opus illud magnum historicum, non alia de Ioanne referret, quàm superioris, quàm quæ Martinus, quæ Platina.

Valerius Anselinus in chronico suo Bernensibus dicato. Ioannes, inquit, Moguntina fœmina, pontificatum doctrinæ morumque præstantia comparatum infami partu defuncta reliquit.

Alberti Cranzij historiographi grauiissimi quoddam Canonicorum in vrbe Hamburga Decani, iudicio discernendi inter verum & falsum, inter consentaneum & dissentaneum, ab omnibus eius monumenta legentibus meritò plurimum tribuitur. Is in catalogo Pontificum strictim notat Ioannam his



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

verbis: Ioannes Anglicus ex Moguntia mulier mentita sexum, quum acutissimo ingenio, promptissima lingua doctissimè loqueretur, adeo in se conuertit omnium animos, vt Pontificatum adipisceretur, vno famulo sexum eius cognoscente à quo compressa pręgnans efficitur, & fertur peperisse apud Colosseum anno secundo necdum completo: in partu moritur.

Carthusianus Fasciculi temporum autor, vt prudentes iudicant, neutiquam contemnendus, posuit Ioannam extra seriem Paparū, cum hac de descriptione: Iste Ioannes Anglicus cognomine, sed natione Moguntinus, circa hæc tempora dicitur fuisse, & erat femina, habitu vestita virili. Sic in diuina scriptura profecerat, vt par ei non inueniretur, & in Papam eligitur. Sed post impręgnata, cum publicè in processione pergeret, peperit & moritur. Et hic sextus videtur fuisse Papa, qui nomen sanctitatis sine re habuit vsque huc, & similiter sicut alij à Deo plagatus fuit, nec ponitur in catalogo Pontificum. Nugantur aliqui hac de causa nullum Almanum in Papam eligi, quod falsum esse constat. Dicere audet Carthusianus monachus etiam ante Ioannam, ante nostram ætatem annos octingentos fuisse malos Pontifices, suoque nomine indignos. Id quod hoc sæculo Esauitico dicere de Pontificibus, multò quàm illi fuere peioribus, horribilis blasphemia est & hæresis rogo digna.

Baptista Mantuanus lib. 3. Alphonſi, in topothesia Tartari facit ibi pendentem Ioannam Papam,



pam, rem teterrimam verbis suavissimis exprimens:

*Hic pendebat adhuc sexum mentita virilem,  
Fœmina, cui triplici Phrygiæ diademate mitram,  
Extollebat apex & pontificalis adulter:*

Fingitque eam in ingressu Tartari primo loco, ut par est Papam, ante alios, qui ibi variè cruciantur, pendere cum suo adultero vel concubino. Mirum verò non huius quoque viri scripta à falsarijs istis relata esse in indicem expurgatorium, quæ tam multa in inquinatissimum Papatum Christiano Zelo & pia indignatione stomachantur. Videntur eum sui Carmelitæ purgatorio isto, ut meretur, immunem præstare.

Omittendus mihi hîc minimè est, testis locuples, Cœlius Rodiginus, vir infinitæ lectionis, quem apparet nihil quod usquam librorum est latuisse. De cuius integritate & in iudicando gravitate eò minus ambigendum, quòd passim in suo opere pium præ se fert animum, reuerenter de Christo loquens, quæ cum paucis doctis Italis, hoc præsertim ævo, communis est virtus. Hic in volumine 4 antiquarum lectionum eruditæ fœminis annumerans etiam Ioannam, Quid, inquit? Nonne chronicis relatum scimus, Ioannam Anglicam solam à condito ævo specie viri pontificatum Romæ ausam inuadere? Immò verò & vnum ex familiaribus, qui solus rem tenebat, ad concubitum admisisse, & inde gravidam etiam in summo dignitatis fastigio peperisse. Factum hoc salutis



APAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

salutis anno octingentesimo quinquagesimo tertio. Vnius huius tanti viri & quidem Itali, testimonio & affirmationi plus in hoc negotio credendum, quàm omnium Esauitarum inficiationi, qui parasiti & mancipia nihil non ad adulandum & demerendum suum altorem & Dominum dicunt & faciunt.

Chronicon Ioannis Lucidi, à condito mundo inchoatum, & ad annum Domini 1336 productum, exinde ipso mortuo à monacho quodam auctum vsque ad annum 1375, suoque, vt vocant Generali & alij cuidam abbati dicatum, refert quidem Ioannem Anglicum in serie Pontificum, sed non addito numero, inquit: Ioannes Anglicus foemina sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Non ponitur in catalogo Pontificum, & ideo tum sedes fuit vacans vsque ad annum Domini 855. Impressus est liber Venetijs anno 1375.

Ioannes Henaldus Gallus de statu Ecclesiae à tempore Apostolorum sub Nerone vsque ad Carolum Quintum Imp. idem dicit de hac Papa, quod reliqui historici. Additque veram hanc esse figuram magnae illius fornicationis spiritualis Papparum Romanorum: atque post hanc meretricem indices magis magisque iniquitatem istius sedis Romanae fuisse patefactam.

In chronico Germanico manuscripto ex compluribus autoribus collecto per Iacobum de Regis curia, (von Königshofen) sacerdotem Argentinensem, quod incipit, *Gott in ewigkeit nach seiner grossen miligkeit* desinens in anno 1456, in Eugenio 4 legitur



XVII

tur folio 110, **Joannes von Ments was Pabst zwey jahr fünff Monat/der was ein Weib** &c.

Martini chronicon Germanicè redditum, eadem omninò retinet, quæ in Latino sunt. Manuscriptio exēplaris, quod ego vidi, absoluta est anno 1429. miniatis passim titulis interstincta.

Aliud Germanicum, grandioribus typis excusum Augustæ, anno 1487 dicit. **Joannes von Ments am Rhein** &c. **der was ein Weib** &c. & habet versiculos, Papa pater patrum &c. antè à nobis recitados. Fini- tur in Sixto 4.

Aliud Heluetico idiomate conscriptum Constanz, pertinens ad annum vsque 1400 ait: **Ein weib hiesse Joannes von Ments/was Bapst / vnd starb an einem Kinde/hat sie mit einem Cardinal gemacht/anno Domini viii clv. Jahre.**

In alio maiusculis characteribus Vlmæ impresso, anno 1486 hæc leguntur: **Der Keyser Arnolphus (Lotharius legendum videtur) was vnder dem Bapst/der ein frau was/vnd an offener strasse zu Rom dazero sprang sie an einem Kind. Dieselb strass meiden noch alle Bapst das sienit dran kommen von der schand wegen.** Terminatur hoc chronicon in expugnatione Mogantiæ, anno 1462. Plures huius farinae annales proferre omitto.

Allegarem recentiores aliquot scriptores, Melanchthonem, qui est autor Chronici Carionis, Robertum Barnum, Petrum Viretum, Ioannem Funcium, Casparum Hedionem (à quo citatur Malleolus Tigurinus, coæuus concilij Basiliensis) Petrum Pau-

E lum



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

lum Vergerium episcopum quondam Iustinopoli-  
tanū ( qui peculiari libello puerperium hoc descrip-  
sit & depinxit) Ioannem Baleum, & alios, nisi cen-  
rentur ab Esauitis hæretici, pontificiæque dignitatis  
aduersarij, & proinde eorum testimonium in hoc ne-  
gocio suspectum & reijciendum. Vnum verò ex no-  
uitijs reijcere non poterint, Pistorium Nidanum, nu-  
per Euangelicum, nunc Pontificium. Quem equi-  
dem non existimo, vt in religione cothurnus est, si-  
mili quoq; inconstantia veritatem historicam, eam-  
que a se ipso pridem editam, nunc negaturum, nec E-  
sauitas suo gregali non assensuros. Inter alios rerum  
gestarum scriptores emisit cuiusdam anonymi Com-  
pilationem, in qua hæc leguntur: Fuit et & alius pseu-  
dopapa cuius nomen & anni ignorantur, nam muli-  
er erat vt fatentur Romani, & elegantis formæ, ma-  
gnæ scientiæ, & in hypocrisi magnæ vitæ. Hæc sub  
virili habitu latuit quousque in Papam eligeretur. Et  
hæc in Papatu concepit, & cum esset grauida dæmon  
in consistorio publicè coram omnibus prodit factum  
clamans Papa pater patrum Papissæ pandito partum.  
His & supra memoratis similima, vel potius eadem,  
refert ipsorum Isenegrinus de hac Papa in Chronico  
suo Dilingæ, in Esauitarum regno, excuso cum gratia  
& priuilegio Cæs. Maiest. anno Domini 1564. Quem  
suum familiarem quibus cauillationibus quoue co-  
lore refutaturi sint salua eius existimatione atque ho-  
nore & ne offendatur, si adhuc superstes sit, ipsi vide-  
rint.

lam igitur iudicent sententiamque ferant æquile-  
ctores



CONTRA IESUITAS ASSERTIO.

XVIII

Stores & arbitri, vtrum tot historiarum per tot secula continuatarum & consentientium affirmationi credendum sit, an recentium paucorum inficiationi, quos ad id conductos constat, & quorum professio est, vt rotis viribus, omni modo, Pontificiam dignitatem vbi iacet erigant, vbi labat fulciant. Plerique omnes, quos adduxi, historiographi fuere aut sacerdotes, aut monachi, aut alioqui Pontificibus iurati & obligati; & tamen quid historicum deceat memores, quæ vel ex maioribus audiuerunt, vel ex superiorum libris notatu & posteris cognitu digna putauerunt, ea in sua scripta citra personarum respectum retulerunt: nihil veriti potentiorum offensam, qui nec offensi sunt hac veritate. Nemo ante hoc tempus hanc historiam negavit, nemo ægrè tulit, nemo ei contradixit nemo in dubium vocavit, ipsis etiam Pontificibus, Cardinalibus & Abbatibus nuncupatam ab eius scriptoribus. Atque hi maiore ex parte fuere Itali, Pontificibus vicini, eoque digniores fide, quòd horum res magis quàm exteri quum ex seniorum relatione, tum ex bibliothecis cognitæ habere potuerunt. Martinum prædicatorem non esse primum qui ista prodiderit ostendimus antè, tum etiam si sit, idèone existimari debent falsa aut incerta? Pari syllogismo concludetur. Herodorus commemorat primum bellum Cyri cum Cræso, ergo non est verum. Suetonius primus narrat portentosa scelera Neronis, ergo nõ credenda sunt. Ante Mosen non descripta extant horribilia Sodomitarum peccata & pœnæ: qui post quadringentos demum annos iiteris ea mandauit,

E 2

Dubi-





Dubiane igitur res est? Eo certè pacto plerisque rebus ante nostram memoriam gestis, quas ex scriptorum monumentis cognoscimus, fides detracta fuerit, nihilque nobis certum, præterquam quod nostra memoria euenit.

Tantumne vobis Esauitæ arrogatis intelligentiæ & sagacitatis, ad eone confidenter & impudenter cornicum oculos, quod dicitur configere audetis, vt Petrarcham, Bocatium, eorumque similes ita stupidos & obesæ naris arbitremini, vt inter verisimilia & fabulamenta discernere non calluerint: itaque leues & vanos, vt posteritati ea prodent, quæ mendacij speciem habere viderentur? Vosne soli tot Episcoporum, Principum, Academiarum, Ciuitatum bibliothecas, in quibus, omnibus hæc historia legitur, arguere falsitatis, & mendacij audetis? Obijcitis plerosque horum autorum dubitanter rem referre dicendo, aiunt, fertur, scribitur, asseritur. Sic solemus quæ ab alijs accepimus præsertim inopinata, prodigiosa & detestabilia commemorare; quod hi etiam ea de causa fecere, vt indicarent se velle & optare, ne tantus error, tanta contumelia capiti Ecclesiæ in terris, & sacrosancto eius concilio acciderit.

Opponitis Onuphrium, quasi istius monachi & pontificij vobiscum conserui autoritas hac potissimum tempestate, qua vestra & procerum vestrorum fraus, nequitia & scelera detecta sunt & decantata, refellere valeat & opptimere tot vererum integrorum & religiosorum virorum consonam traditionem. Opponitis item Auentinum, rem aliter habere con-

iectan-



lectantem. Hic vir grauis & historicus minimè vanus est: de quo tamen suspicari aliquis possit, eum in gratiam Marthæi Langij Archiepiscopi Saltzburger-  
 sis Cardinalis & legati sedis Apostolicæ, Mæcenatis sui, hanc historiam aliò deflexisse, illo potissimum tempore, quo iam Pontificium regnum in Germania putere, contemni & despui cœpit, cuius tuendi & decorandi causa Langius Cardinalis & legatus erat.

Sed quod tandem opere præcium facimus tam prolixè ostendendo & euincendo, quod Ioannes 8. Papa mulier fuerit & puerpera? Hoc nimirum, vt documentum demus studij & vaframenti Esauitarum in conseruando & instaurando, maximè in Germania nostra, Pontificum autoritatem & tyrannidem, ad quod conducti, instructi & emissi sunt: ad quem vnicum finem omnes eorum fucati mores, omnis histri-  
 onica in ecclesijs & scholis opera spectat ac tendit: quumque adeo confessam & manifestam veritatem tot testimonijs confirmatam conuellere atque euertere laborent, quantum eis in negotio religionis & salutis Christianæ, cuius sibi magisterium vendicant, adhibendum fidei sit, æstimetur.

Eraferint fanè ex omnibus libris, qui tam multi sunt vbique in bibliothecis, deleuerint ex omnium hominum animis hoc pontificium dedecus & probrum, videlicet proceres Ecclesiæ catholicæ Romanæ deceptos aliquando à Spiritu suo sancto elegisse Pontificem foeminam pro mare: quomodo excusabunt & abolebunt alios ipsorum & spiritus scilicet sancti errores, vel casus etiam voluntarios, quibus

E ; tot



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

tot improbos, impudicos, incestos, impuros, crudel-  
 es omni scelerum genere oppletos crearunt Pontifi-  
 ces pro sanctis, castis, miribus, pijs & bonis? Sergius 3  
 decessorem suum Formosum cuius amulus & com-  
 petitor Papalis tiaræ fuerat, tam rabiosè etiam mor-  
 tuum odit, ut extractum è sepulcro, in quo octo an-  
 nos iacuerat, & decollatum in Tibrim abiecerit. Io-  
 annes 13 confossus est in adulterio extra urbem ab a-  
 dulteræ marito, anno pontificatus sui decimo, Chri-  
 sti 964. Silvester 2 magus execrabilis, habebat caco-  
 dæmonem in capite humano a quo vnde responsa ei  
 dabat, & tandem quum in sacello Hierusalem dicto  
 missificasset, subita febris extinctum abduxit in suum  
 regnum.

Hildebrandi (qui Gregorius septimus) virtu-  
 tes scilicet pontificales Cardinalis Benno, qui eius  
 gestorum arbiter & inspector fuit, & Auentinus præ-  
 dicant: quantus fuerit magus, quot Pontifices ante  
 se neci dederit, quàm atroces & capitales inimicitias  
 in Henricum 4 exercuerit: cuius vitæ cum aliter tum  
 etiam hac via insidiatus sit. Commorabatur Impe-  
 rator aliquandiu Romæ cum vxore. Quo loco in  
 templo sacris adesse consuevit & precari, ibi supra in  
 trabe iussit sanctissimus Pater grandes lapides impo-  
 ni, inde deijciendos in subitus precantem. Minister  
 sceleris dum grauissimo lapide trabem oherat, fran-  
 gitur illa, & ipse vnà decidens obteritur. Turbarorè  
 inmanissimum Germanici imperij Hildebrandum  
 fuisse, omnes veraces de eo historiographi prædicant:

Alexandri 6 Hispani elogia celebrat Guiciardi-  
 nus,



XX
 nus, interque alia quali amore complexus sit filiam suam & duos filios, videlicet vt ipse illam incestare consueuerit abstractam à marito, cui eam nuptum dederat, & hos sciens volensque riuales (dictu horrendum) habuerit: & quòd frater fratrem sibi cum in alijs tum in amore sororis prælatum noctu interfecerit: mortuum in Tibrim abiectum expiscatus sit pater, hoc saltem modo piscatorem hominum agens. Mortuus est haustu venenati vini, quod aliquot Cardinalibus è medio tollendis in hortensi conuiuio paratum, ipsimet permutatis errore ministri lagenis præbitum est.

De Paulo 3 cui ante Pontificatum Alexander Farnesius nomen erat, quàm horrendæ libidines, supra, incestus, parricidia, veneficia, proditiones, commemorantur? Hæc & alia his similia, quæ plurima passim in actis pontificum vestrorum facinora leguntur & legentur quantumlibet multos indices feceritis expurgatorios, vbi falsa esse docueritis, tum demum ad probandum expletam omnibus suis partibus innocentiam & sanctitatem istius Hierarchiæ, conuincite falsitatis autores etiam historiæ de Ioanna Pontifice.

Laurentij Vallæ, non exteri, sed in vrbe Roma canonici reprehensionem Pontificum sui temporis vt liberam, ita veram esse si vos negaveritis, nos tamẽ cum alijs nunquam de ea dubitauimus nec dubitabimus. Dico, inquit, & exclamo (neque enim timebo homines Deo fretus) neminem mea ætate in summo pontificatu fuisse aut fidelem dispensatorem aut prudentem



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

prudentem, qui tantum abest vt dederit familiae Dei cibum & escam panis. Papa & ipse bella pacatis populis infert, & inter ciuitates principesque discordiasferit. Papa & alienas sitit opes & suas exorbet. Papa non modò rem publicam, sed etiam rem ecclesiasticam & spiritum sanctum quæstui habet. Et cum horum admonetur non negat, sed palam fatetur atque gloriatur licere ei quauis ratione patrimonium ecclesiae à Constantino donatum ab occupantibus extorquere. Quasi eo occupato religio Christiana futura sit beata: & non magis omnibus flagitijs, luxurijs, libidinibusque oppressa, si modo opprimi magis potest, & vllus est sceleri vltior locus. Hæc Valla non veritus est pio stomacho, neglecto omni periculo, exprobare Papatui sui temporis ante annos 140, adeo interea non correcto, vt indices etiam peior factus sit & fiat.

Redarguite, si qua potestis, illa quæ Iouianus Pontanus vir Pontificiæ religionis, sed aliter nempe simplicius & sincerius quàm vos estis, de Pontificibus & Cardinalibus scripsit, in dialogo Charontis & Mercurij. Si fortè codicem ad manum non habetis, sunt hæc. Char. An obsecro sceleribus his sacerdotes ac Pontifices non eunt ipsi obuiam? quamquam ex omni hominum numero atque ordine, quot ipse quotidie transueho, foedioribus compunctum notis video neminem. Mer. Nulli de vera religione sunt minus solliciti, quippe quorum studium est ampliare rem familiarem, congerere pecuniam, atque in saginandis corporibus occupari, & cum nimis improbè  
auari



auari sint omnes, nemo coenat lautius, nemo vestit elegantius. Dudum sacerdos Cardinalis obsonatorem suum, quod in emendo lupo pisce pecuniæ percipisset (erat autem pretium aurei sexaginta) quibus non maledictis est insectatus? parumque abfuit quin illi domo interdixerit, ut vitæ suæ parum studio. Ac ne erres Charon, vitam nunc, quæ olim gula dicebatur, vocant. Alter quoque sacerdos eiusdem collegij moriens exoleto legauit aureum triginta milia. Char. Utinam quibus hæc audio carerem auri-  
bus. Tantumne facinus impunitum abire cæteri mortales sustinent? Mer. Superstitione tenentur &c.

Confutate, si qua potestis, dialogum illum nobilē ab Erasmo & Hutteno confectum graphicè depictam vestituli & mores & acta talia, ut cum mortuus cæli fores sua clauē, qua alijs eas precio patefacere solebat, sibi met referare non posset, & Petrus aperire pulsanti nollet, ad Orcum suo cum satellitio & comitatu exclusus demigraret.

Refellite, si qua potestis, vel expurgate veris argumentis & rationibus acta Pontificum, Apostolorum actis ex diametro repugnantia, edita à Ioanne Baleo Anglo: quæ homo Christianus vel etiam ethnicè tantum probus legens cohorrescit: tanta in eis scelerum sentina est plerorumque Pontificum inde à Ioanne puerpero vsque ad nostrum seculum. Tales si purgare conemini, quid aliud quam Aetiopes laueritis? Desinite igitur porro hominibus fucum facere, fumosque vendere hoc tam oculato seculo: omittite fulcire & decorare Antichristi thronum frustra, nisi

F

quate-



PAPAM IOANNEM VIII FUISSE MULIEREM

quatenus ipsi fruimini ista adulatione, sic vitæ com-  
moda facilè & affatim à patronis vestris percipientes:  
honorati opinione sanctimonix à vestris discipulis,  
pueris & adolescentibus, & à fatua plebe etiam à non-  
nullis, quos adulamini, Midis. Quæ si potiora putatis  
Christiana veritate, sinceritate, & beatitudine, per-  
gite vsque mentiri, simulare, histriones agere, religi-  
one ad fraudem impiam abuti, donec experiamini  
tandem Deo illudere non potuisse: si modo in hoc à  
vestro Coryphæo eiusque purpuratis dissentien-  
tes, Deum esse, animas humanas & iu-  
diciū vniversale post hanc vitam  
restare plerique  
creditis.



ASSERTIO INCONFUTABILIS

Mulierem Romę fuisse

Pontificem.

**P**ROH Veritatem! Proh Deum atque hominum fidem!  
 Mendaciorum quam uber & larga est seges,  
 HERMANNE! quanta nugivendium copia!  
 Quod ante septingena quadragenaque  
 Volventis ævi curricula retro annua,  
 Huc usque verum ubique semper exstitit;  
 Nunc impudenter hi Gnathones, adsecla  
 Pinguis culina laridique, pernegant  
 Verum esse: nullam nempe in urbe Romulã  
 Papam fuisse feminam. Quisnam ergo erat,  
 Si mulier illa non fuisse creditur,  
 Quæ peperit? Omnes undique historicum libri  
 Infamiae huius sunt referenti. Conscia  
 Est ipsa Roma, conscium Byzantium:  
 Graeci & Latini cognitissimum hoc habent,  
 Europaque omnis, quasque Sol oriens videt  
 Cadensque gentes. Vaticana pulpita,  
 Manuque plures exarati codices,  
 Senensiumque capita Pontificalia,  
 Praefixa templi sub cathedralis tholo,  
 Imò & Catalogi in urbibus Italia editi,  
 Clamant id ipsum, publicaeque vox via;  
 Vbi Iohannes peperit illa Pontifex,  
 Cum prole ibidem moriua tumulataque,  
 Gilberta cui nomen fuit. namque hæcenus  
 Et ipse paries istiusmodi rei,

F 2





PAPAM IOANNEM VIII FVISSE MVLIEREM

Monumentum & ipsum fecit approbè fidem,  
Medio inter Amphitheatron illud tramite  
(Hodie Quirites id Colosseum vocant)  
Fanumque Clementis locatum ad dexteram.  
Idcirco & ipsam consciam facti viam,  
Laterana cum delùbra visitanda sunt,  
Amburbialis pompa declinat, ferens  
Obliqua per callis sinistrorsum pedes;  
Nec feminam istam Catalogo patrum inserunt,  
Ob execrandum facinus audacissimum.

At iustulere nuper hanc statuam graves  
Famae patroni, & castitatis vindices,  
Paullo ante quàm Romam venire: sed tamen  
Monstratus est mihi a perito idem locus,  
Abominati marmoris vestigium,  
Quo sculpta mulier Pontifex puerpera.  
Verùm, tametsi collaborant, tollere  
Nequeunt memoriam huiusce turpitudinis,  
Quà spurca meretrix nequiter Babylonias  
Firmavit artes. Ut caverent postmodum  
Patres verendi, ne pudendi forte quid  
Rursum eveniret; perforatum in ambitu  
Sedite subtus attigendis prolibus  
Coordinarunt, teste Diacono ultimo,  
Cui munus illud exsequendum creditum est.  
At exolevit iste mos hodie; prius  
Quòd se patrem unusquisque patrando probet.  
Hec nota vulgo. notus & Germaniæ  
Hic casus; quippe facinoris Maguntia  
Et Fulda locuples testis: ut de Caesarum  
Regumque Principumque taceam annalibus.

Proh!



Prob! ecquis ignoret, quid olim Carolis  
 Et Ludovicis scepra gestitantibus,  
 Itemque Lothario imperante actum fiet,  
 Florente Francum stirpe? quidve regibus  
 Anglis Ethelbolphoque & Alphredo editum?  
 Eccui negetur, liberare cum malo  
 Papissa vellet Demone obsessum caput,  
 Compressa saepe a cubiculario intimo,  
 Verbisque protelaret adiurantibus  
 Nefarium illum noxiumque spiritum;  
 Hoc disticho elusisse verba spiritum?  
 Papa pater patrum, Papissae pandito partum:  
 Et tibi tunc edam, de corpore quando recedam.  
 Scribunt & istud: Admonendam oraculo  
 Curasse summum vindicem sceleris ream,  
 Malletne publice subire opprobrium,  
 An in gehennam perpetim cruciarier?  
 Ipsam magis elegisse tale opprobrium.  
 Constabit ergo veritati cum fides  
 Auctoritasque, tum bonis scriptoribus  
 Adsertio huius sceleris, ac fidei suae.  
 Patefacere nempe IOVA maximus optimus  
 Voluit nefandum Tribadis istius probrum  
 In omne saeculum: quod nec amnis eluet  
 Tiberinus, Albula ante dictus, nec mare  
 Superum inferumque. Duret igitur haec nota  
 Labesque turpis, Roma quam stabit diu;  
 Porroque, Roma cum nequit stare amplius.

Miles armatae militiae  
faciebat.



PAPAM IOANNEM VIII FVISSE MVLIEREM.

**I**mpudens fuit illius Papatus,  
Qui dictus Papa. quum foret Papissa.  
Vos o Grammatici hinc abeste quaeso,  
Turbat Grammaticen papale monstrum.

Impudens fuit illius papatus,  
Qui puerperus esse dum volebat,  
Fit puerpera, cum foret Papissa.

Impudens fuit illius papatus,  
Qui vel quæ potius fuit vocanda  
Petra apostola: si fatetur ullus  
Petri Pontifices locum tenere.

Impudens fuit illius papatus,  
Qui vel quæ potius papale regnum  
Vili prostibulo patere fecit.

Impudentior ille Iesuita  
(Iesu parce, tuum profano nomen)  
Impudentior ille Iesuita,  
Qui quod historia fatentur omnes,  
Quod nec hostica gens negabat ante,  
Quod vrbe in celebri, loco celebri,  
Quod factum fuit in frequente cœtu,  
Spectatum fuit in frequente cœtu,  
Negat, pernegat. Ergo Iesuita est  
Impudentior omnibus Papissis,  
Audet qui tibi pertinax negare,  
Impudentia quod nec ausit ipsa.  
Huic affert prius inscise pudoris  
Ist hac inficiatio pudorem.

H. S. P.



XXIV

Ad Iesuitam.

**D**IVINA mortalis sibi qui vendicat,  
 Christi vicem dum falsus in terris gerit.  
 Caelumque donat impudens quibus lubet:  
 Qui figit ~~P~~refigit in templo Dei **et**  
 Quodcumque somniauit aula Romuli:  
 Idola qui coli iubet Iesum numina, **C**  
 Ex pane qui creat creatorem suum:  
 Qui dogmata orthodoxa adulterat sciens:  
 Qui scorta concedit, vetatque coniuges:  
 Mirare, si mentitur ille masculum  
 Sexum, Virumque scemina exhibet papam?  
 Papam meretrix: quid velit mysterium,  
 Sibi hoc, Iesuita acutè, discute.  
 Nam quod negas factum, negaveris puto  
 Idem, diem esse, quando Sol exortus est

Aliud,

**T**EMPORE quo coepit fidei doctrina labare  
 Sinceritas adulterariet vetus:  
 In cathedra Petri ~~turn~~ scortum nobile sedit:  
 Quid inde colligi posse putem, eloquar.  
 Scorti non Petri successores vocitari,  
 Papa per octo qui fuere secula.

Aliud.

**Q**UID non designat tua dispensatio, Roma?  
 Sexu in utroque simul miscet utrumque genus?  
 Dicere uti liceat nobis, Octava Johannes  
 Errorem tacitè dissimulante **probo. P.**  
 Et merito: cui se videas submittere Reges,  
 Fas etiam viles cedere Grammaticos.

S. S. L.





OPERA LATINA

Ad lecturam

D

Divina scriptura  
Cantica  
Psalterium  
Ecclesiasticus  
Sapientia  
Iuditha  
Tobit  
Ieremias  
Ezechiel  
Daniel  
Iosephus  
Iuditha  
Tobit  
Ieremias  
Ezechiel  
Daniel  
Iosephus

Historia  
Iosephus  
Iuditha  
Tobit  
Ieremias  
Ezechiel  
Daniel  
Iosephus

Opera Latina  
Iosephus  
Iuditha  
Tobit  
Ieremias  
Ezechiel  
Daniel  
Iosephus

1 2 3





Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767



s. b.

WDA









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**Farbkarte #13** B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

IESVITAS,  
 SINGVLARES S.  
 PONTIFICIÆ MAIE-  
 STATIS HOC TEMPORE VIN-  
 DICES, FALSO ET FRVSTRA  
 NEGARE, PAPAM IOANNEM  
 VIII fuisse MVLIEREM.

50



Editio altera non sine auctario.

ANNO M. D. XCVIII.

